



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. Qualitas Valliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 3. *Qualitas Vallia.*

PARS eius Borealis si Monam excipias paulò sterilior est quæ ferè tota in montes affurgit, in quibusdam tamen locis fertilis redditur, abrafo cespite atque combusto. Incolæ sese facillè tutantur, quoniam vallibus multis fracta regio, Montes adèò vicini ut ex eorum vertice pastores colloquantur, nec tamen nisi totâ die ab vnâ crepidine ad aliam perueniant. Equos alebat antea celebres, nunc paucos omninò emittit.

Australis pars fertilissima; laudantur eius canes pecoris, villarumque custodes. Hinc oriundus Merlinus vates; itèmq; Arturius, in fabulis nominatissimi. Giraldus quoque sæpe laudatus à nobis, ab hac Regione Cambrensis dictus est.

§. 4. *Mores Vallorum.*

DE Vallorum moribus legantur Giraldus, Camdenus, & Speda, ex quibus pauca hæc decerpimus.

1. Eorum curam vnâ fuisse habere arma terfissima, equos belatores vegetos & fortes.
2. Difertissimos naturâ extitisse.
3. In nuptiis de splendore familiæ fuisse sollicitos, de diuitiis nullo modo.
4. Apud eos fuisse turpissimum dentes habere nigros, ideòque illos identidem terfisse.
5. Musica instrumenta magno hîc fuisse in precio, potissimum apud Virgines.
6. Temperantes supra modum extitisse: de die non nisi semel sumpsisse cibum, idque sub vesperam; iuncos eis culcitram, & stragula suffecisse.
7. Viros aluisse barbam in superiore labro, reliquam rasisse.

Et hos quidem fuisse ritus constat veterum Vallorum. Ex quo autem paruerunt Anglis, dominorum induere mores. Hos tamen adhuc retinent. Magni faciunt natales suos, & familiæ splendorem in pannis iactitant. Literis addictissimi sunt, pluresque ex hâc vnâ gente doctores creantur, quàm ex reliquâ Angliâ. Cæterùm litibus intricandis, & expediendis habentur aptissimi.